

---

† R. P. Eduardus Meersmans (1865-1932)

(*Prov. Belg.*)

Die 12 Martii a. c., qui dies in sabbatum *Sitientes* incidit, Pulchriiugi extincta est terrestris vita viri universae Provinciae Belgicae veneratissimi, R. P. Eduardi Meersmans, per antonomasiam « Pater Magister » vocitati, etsi a duobus annis hoc officio liberati.

Natus Antverpiae d. 3 Apr. 1865, magna cum laude studia in parvo Seminario Mechliniensi perfecit. Novitiatum Trudonopolitanum ingressus, ibi d. 15 Oct. 1882 religionis vota emisit, et absolutis ibidem humanioribus studiis, Pulchrumiugum advenit mense Septembri a. 1884. In altioribus

quoque studiis Fr. Meersmans eminebat, et sacrum presbyteratus ordinem per Illmum D. Bélin, Episcopum Namurcensem, d. 16 Oct. 1889 recepit.



P. Meersmans, studentatu egressus venit Trudonopolim, in qua domo ei maior subsequentis vitae pars transigenda fuit; et primum quidem nominatus est Subpraefectus « parvi studentatus », tum temporis ibi constituti, sed iam d. 26 Apr. 1893, annos natus solum 28, Magister novitiorum. Exacto quinquennio (1898) Pulchrumiugum transfertur Praefectus clericorum, sed elapso suo triennio Tornaci annis 1901-1907 vixit simplex membrum communitatis et moderator periodici *Voix du Rédempteur*, eodemque rediit d. 9 Ian. 1908, cum magisterio theologiae moralis post paucos menses se ob infirmam valetudinem abdicare cogereetur. Iterum novitiorum Magister d. 23 Aug. 1911 renuntiatus, per 19 annos in tanti mo-

menti munere exsequendo permansit, donec senex ultimum biennium Pulchriiugi qua confessarius clericorum pie exegit.

Qualem Eduardum Meersmans viderunt studentatu egredientem, talem postea eum perpetuo cognoverunt: virum statura altum, leviter incurvatum, sereno vultu subridentem, ingenio pollentem, at certos auctores certasque materias vix unquam excedentem. Repletus affectu singularis devotionis, optimorum scriptorum assidua lectione nutrito, haud minus timidus quam pius erat; quam duplicem notam usque ad finem retinuit. Per totam vitam eius mens altissimis theologiae dogmaticae, asceticae mysticaeque veritatibus aperta mansit. Propter infirmam valetudinem numquam fuit missionarius, vel potius erat unus ex illis « missionariis penetrantium », quorum sanctitas et orationis studium compensant ea, quae ipsis natura in dotibus externi apostolatus dare recusavit. Multis animabus erat moderator spiritus, et saepe ei verba facienda de materiis asceticis, praesertim ad novitios Provinciae Belgicae, moniales a SS. Redemptore aliasve religiosas, ad religiosos quoque viros, velut in famosis asceteriis Maredsous et Oosterhout O. S. B., item ad presbyteros saeculares vel ad clericos Lovaniensis Seminarii a Leone XIII nuncupati, et ubique eius pietas non minus quam soliditas eius doctrinae magni aestimabatur.

Confratri nostro multum inerat dignitatis exterioris, urbanitatis affabilitatisque exquisitae, id quod aliorum venerationem affectumque facile ei conciliabat. Eminenter homo spiritualis et « magnus precator » erat, quidam alter P. Passerat alterve P. Ernestus Dubois; hic enim, olim in studentatu eius Praefectus, in animo defuncti vestigia inextincta reliquerat.

S. P. N. Alfonsi filius fuit fidelis fideli custodia Regularum et Constitutionum, magno orationis spiritu, tenero affectu erga sacrosanctam Iesu Christi humanitatem, studio impenso se in omnibus conformandi divinae voluntati, quo argumento usque ad agoniam plenus erat. Haud secus ac S. P. Alfonso ei erat etiam devotio haud communis erga Matrem Boni Consilii.

P. Meersmans pleno vocis sensu fuit *religiosus*; quandoquidem religionis virtus eius vitam intimam penetraverat, eamque aliis animabus infundere satagebat. Auctores eius praedilecti, quos allegare non desistebat (memoria enim ei erat vere prodigiosa) fuere, praeter S. P. Alfonsum, S. Franciscus Salesius, cuius affabilitatem imitabatur, et S. Augustinus, cuius *Confessiones* circiter quindecies legerat, et Bossuet.

Praeter brevem Pulchriiugi commerationem et novennium traductum in umbra sepulchri Ven. Patris Passerat in domo Tornacensi sibi carissima, totam suam Redemptoristae vitam Trudonopoli consumpsit in vetusta illa domo novitiatus, piis atque austeris traditionibus nostris plane pervasa. Per 24 annos ibi fuit novitiorum Magister, et eius discipuli adeo numerosi unanimi consensu praedicant Magistri bonitatem et institutionem, spiritu orationis fideique atque ardenti erga Iesum amore omnino imbutam.

S. Thomas Aquinatis festo die P. Meersmans in morbum incidit, in broncho-pneumoniam, quam crescens debilitas cardiaca magis periculosam reddebat. Receptis igitur ultimis sacramentis admirabili mentis serenitate, defectuum et imperfectionum suarum veniam expoposcit, ita ut communitas valde commoveretur. Gratias quoque egit Superioribus et Congregationi de cunctis beneficiis receptis quinquaginta vitae religiosae annis, quos proximo mense Octobri completurus erat.

Ultimae eius horae Dei memoria impletae. *Ego vivo propter Patrem*, inquit, sua faciens verba Christi, cuius verum vivumque membrum esse cura eius continua fuerat. Ad extremum, iamiam in agonia positus, suos pristinos novitios ita exhortatus est: « *Estote homines fidei, homines supernaturalis . . . et ego vado in domum aeternitatis meae! . . . Voluntas Dei tota sancta, tota adorabilis, tota divina . . . omnium rerum ratio ultima! . . .* ».

En ultima verba, quae ex ore huius sancti confratris prodierunt, verba admiranda. Reverendi Patris vita digna et discipulorum eius multitudinem monentia, ut soli Deo vivant et rebus ad Deum pertinentibus.